

1252 maig 8

*El comte Ponç Hug d'Empúries firma a l'abadessa Berenguera de Sant Daniel la coromina que aquesta ha comprat a Vilamalla, per 1.200 sous.*

ASD núm. 161, perg orig., 250 x 260 mm. Còpia: Llibre 21, núm. 120, pp. 117- 119.

Sit notum omnibus quod nos Poncius Ugo, Dei gratia comes Impuriarum, ex certa sciencia et gratuita uoluntate, ob remedium anime nostre et patris ac matris nostre et parentum nostrorum, per nos et omnes successores nostros donamus donacione inter uiuos Deo et monasterio Sancti Danielis Gerunde et uobis domine Berengarie abbatisse eiusdem monasterii et successoribus uestris nomine eiusdem monasterii recipienti in perpetuum pro libero et francho alodio omnes census et agraria et omnia alia iura et dominia utilia et directa que habemus et accipimus et habere et accipere debemus in illa condamina quam emistis de Bernardo et Paulo, filiis Arnalli de Palaciolo militis, que condamina est in parrochia Sancti Uincencii de Uilamayla et tenebatur per nos ad feudum, et affrontat ab oriente in condamina monasterii Sancti Felicis de Cathinis, a meridie in rego qui est inter ipsam condaminam et campum Berengarii de Garriganis, ah occidente in condamina Sancti Felicis de Cathinis que uocatur Compra, a circio in camino publico, sicut in carta ipsius empccionis plenius continetur, de qua donacione cum hoc publico instrumento semper utili et ualituro uos mitimus in presenti in corporalem possessionem uel quasi, ad habendum, tenendum et possidendum et faciendum quicquid uolueritis pro libero et francho alodio ad omnes uestras uestrorumque successorum uoluntates perpetuo faciendas. Et quia nichil iuris uel domini in predicta condamina nobis uel successoribus nostris retinemus, damus et cedimus in ea uobis dicte domine abbatisse et conuentui uestro presenti et futura et successoribus uestris nomine prefati monasterii Sancti Danielis totum locum nostrum et ius, uoces, raciones et acciones nostras reales et personales, utiles et directas que in predicta condamina nobis competunt uel competere debent aut possunt ratione feudi uel alio quolibet iure uel modo ad omnes uestras uoluntates, ut dictum est perpetuo faciendas, constituendo uos ibi procuratores ut in rem uestram propriam, promittentes per nos et successores nostros predictam donacionem bonam et firmam semper habere et inuiolabiliter obseruare et contra eam non ueniamus nec aliquis nomine nostra uenire paciemur aliquo iure uel racione, unde scienter renunciamus super hoc specialiter illis legibus propter quas donaciones causa ingratitude reuocantur et omni alii iuri obuiam uenienti. Laudamus etiam et aprobamus iamdicto monasterio Sancti Danielis Gerunde et uobis dicte domine Berengarie, eiusdem monasterii abbatisse et successoribus uestris in perpetuum empccionem supradictam quam fecistis de dicta condamina, quam promittimus bonam et firmam semper habere et inuiolabiliter obseruare. Et pro hac laudacione et foriscapio predictae empccionis condamine confitemur nos habuisse et recepisse a uobis dicta abbatissa de bonis dicti monasterii mille et ducentos solidos bonorum malgorensium, renunciando excepcioni peccunie non numerate et non recepte.

Actum est hoc . VIII. idus madii anno Christi .MCC. quinquagesimo secundo.

Ego Poncius Ugo, comes Impuriarum qui hoc firmo, sig+num. Sig+num Bernardi de Uillanoua, uicarii, sig+num Assaliti, militis, sig+num Petri de Sancto Iohanne, sig+num Raimundí Bouis Boueti, sig+num Bernardi de Impuriis, sig+num Raimundí de Candela clerici, testium.

Sig(s. man. )num Castilionis Dorcherii, qui hoc scripsit. Sig(s. man. )num Guilielmi Petri, publici Castilionis scriptoris, qui hoc subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 326-327